



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De circuncisione, quæ præcessit baptismum. Quæst. 70.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

tem quandoque per fictionem : unde oportet , quòd remota ea per pœnitentiam , baptisumus statim consequatur suum effectum .

Ad primum ergo dicendum , quòd sacramentum baptismi est opus Dei , & non hominis . Et ideo non est mortuum in ficto , qui sine charitate baptizatur .

Ad secundum dicendum , quòd fictio non remouetur per baptismum , sed per pœnitentiam subsequentem : qua remota , baptisumus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum , & etiam simul existentium cum baptismum ,

* lib. 1. de
bapt. par.
c. 12. in
fi. 10. 7. ha
betur de
conf. d. 4.
c. 40. in
fine .

Vnde August. dicit * in lib. de baptisumo paruulorũ , Soluitur hesternus dies , & quicquid superest soluitur , etiam ipsa hora , momentumq; ante baptismum , & in baptismum : deinceps autem continuo reus esse incipit . Et sic ad baptismi effectum consequendum , concurrunt baptismus & pœnitentia : sed baptismus sicut causa per se agens ; pœnitentia sicut causa per accidens , id est , remouens prohibens .

Ad tertium dicendum , quòd effectus baptismi non est tollere peccata futura , sed præsentia vel præterita . Et ideo recedente fictione , peccata sequentia remittuntur quidem , sed per pœnitentiam , non per baptismum . Vnde non remittuntur quantum ad totum reatum , sicut peccata præcedentia baptismum .

QVÆST. LXX.

De circumcissione , quæ præcessit baptismum , in quatuor articulos diuisa .

D E inde considerandum est de præparatorijs ad baptismum . Et primo de præparatorio quod præcessit baptismum , id est , de Circumcissione . Secundo , de præparatorijs , quæ concurrunt simul cum baptismum , scilicet de catechismo , & exorcismo .

¶ Circa primum queruntur quatuor .

¶ Primo , utrum circumcissio fuerit præparatoria , & figuratiua baptismi ?

¶ Se-

¶ Secundo, de institutione ipsius.

¶ Tertio, de ritu eius.

¶ Quarto, de effectu ipsius.

ARTIC. I.

Virum circumcisio fuerit preparatoria, & figuratiua baptismi?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod circumcisio non fuerit preparatoria, & figuratiua baptismi. Omnis enim figura habet aliquam similitudinem cum suo figurato. Sed circumcisio nullam habet similitudinem cum baptismo. Ergo videtur, quod non fuerit preparatoria, & figuratiua baptismi.

406
Sup. q. 68
a. 1. ad 1.
q. 1. 2. q.
101. a. 5.
c. ad 1. et
3. Et 4 d.
1. q. 2. ar.
1. q. 1. c.
et d. 2. q.
1. a. 2. ad
5. & Ro.
2. le. 2. co-
lum 2. &
le. 4. col. 4
q. 38. a. 1.
2. & 3.

¶ 2 Præterea, Apostolus dicit 1. Cor. 10. de antiquis patribus loquens, quod omnes in nube, & in mari baptizati sunt. Non autem dicit, quod in circumcisione baptizati sint. Ergo processio columnæ nubis, & transitus maris rubri, magis fuerunt preparatoria ad baptismum, & figuratiua ipsius, quam circumcisio.

¶ 3 Præterea, Supra dictum est *, quod baptismus Ioannis fuit preparatorius ad baptismum Christi. Si ergo etiam circumcisio fuit preparatoria, & figuratiua baptismi Christi, videtur quod baptismus Ioannis fuerit superfluus: quod est inconueniens. Non ergo circumcisio fuit preparatoria, & figuratiua baptismi.

SED contra est, quod Apostolus dicit Colof. 2. Circumcisi estis circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis; sed circumcisione Christi, conscripti ei in baptismo.

RESPONDEO dicendum, quod baptismus dicitur sacramentum fidei: in quantum scilicet in baptismo fit quædam fidei professio, & per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra, & antiquorum patrum, secundum illud Apost. 2. Cor. 4. Habentes eundem spiritum fidei, credimus. Circumcisio autem erat quædam professio fidei. Vnde dicitur Rom. 4. quod

Abrahā accepit circumcisiōnē tamquam signaculū fi dei. Vnde & per circumcisiōnē antiqui aggregabatur collegio fidelium . Vnde manifestum est , quod circumcisiō fuit præparatoria ad baptismum , & præfiguratiua ipsius, secundum quod antiquis patribus omnia in figuram futuri contingebant (vt dicitur 1. Cor. 10.) sicut & fides eorum erat de futuro .

Ad primum ergo dicendum, quod circumcisiō habebat similitudinē cum baptismo, quantum ad spiritualem effectum baptismi . Nam sicut per circumcisiōnē auferebatur quædam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur à carnali conuersatione .

Ad secundum dicendum, quod protectio columnæ nubis, & transitus maris Rubri, fuerunt quædam figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare Rubrum, & Spiritu sancto significato per columnam nubis. Non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisiōnē. Et ideò prædicta * duo erant tantum figuræ, & non sacramenta. Circumcisiō autem erat etiam sacramentum præparatorium ad baptismum : minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam prædicta . Et ideò Apostolus potius fecit mentionem de prædictis, quam de circumcisiōne .

Ad tertium dicendum, quod baptismus Ioannis fuit præparatorius ad baptismum Christi, quantum ad exercitium actus : sed circumcisiō quantum ad professionem fidei, quæ requiritur in baptismo, sicut dictum est * .

ARTIC. II.

Vtrum circumcisiō fuerit conuenienter instituta ?

Ad secundum sic proceditur . Videtur, quod circumcisiō fuerit inconuenienter instituta . Sicut enim dictum est *, in circumcisiōne fiebat quædam fidei professio . Sed à peccato primi hominis nullus unquam saluari potuit, nisi per fidem passionis Christi, secundum illud Roman. 3. Quem proposuit Deus

pro-

* In ista solutio. et in arg.

In corp. art.

407

1. 2. q. 102

2. 5. ad 1.

et 9. 103.

2. 1. ad 3.

et 4. d. 1.

ar. 2. q. 4.

c. 9. 2.

ar. 1. q. 3.

per tot.

* ar. præc.

propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Ergo statim post peccatum primi hominis circumcisio institui debuit, & non tempore Abrahæ.

¶ 2 Præterea, In circumcisione homo profitebatur obseruantiam veteris legis, sicut in baptismo proficitur obseruantiam nouæ legis. Vnde Apost. dicit Galat. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Sed legalis obseruantia non est tradita tempore Abrahæ, sed magis tempore Moyfi. Ergo inconuenienter instituta est circumcisio tempore Abrahæ.

¶ 3 Præterea, Circumcisio fuit figuratiua & preparatiua baptismi. Sed baptismus exhibetur omnibus populis, secundum illud Matth. vlt. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos. Ergo circumcisio nõ debuit institui, vt obseruanda tantum ab vno populo Iudæorum, sed ab omnibus populis.

¶ 4 Præterea, Carnalis circumcisio debet respondere spirituali, sicut figura figurato. Sed spiritualis circumcisio quæ fit per Christum, indifferenter conuenit vtrique sexui: quia in Christo Iesu non est masculus neque fœmina, vt dicitur Galat. 3. Ergo inconuenienter est circumcisio instituta, quæ competit folis maribus.

SED contra est, quòd sicut legitur Gen. 17. Circumcisio est instituta à Deo, cuius perfecta sunt opera.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut dictum est*) circumcisio erat preparatoria ad baptismum, in quantum erat quædam professio fidei Christi, quam etiam nos in bapismo profiteamur. Inter antiquos autem patres primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei Genes. 22. In femine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ipse etiam primus se à societate infidelium segregauit, secundum mādaturum Dei dicentis sibi, Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Et idèd cõuenienter circumcisio fuit instituta in Abraham.

Ad primum ergo dicendum, quòd immediate

N 3 post

art. prec.

post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adæ (qui plene instructus fuerat de diuinis) adhuc fides & ratio naturalis in tantum vigeat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei & salutis: sed vnusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis preestabatur. Sed circa tempus Abrahæ, diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus: obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ vsque ad peccatum contra naturam. Et ideo conuenienter tunc & non ante, fuit instituta circumcisio, ad profitendum fidem, & ad minuendum carnalem concupiscentiam.

Ad secundum dicendum, quod legalis obseruantia tradi non debuit nisi populo iam congregato: quia lex ordinatur ad bonum publicum, vt in secunda parte dictum est*. Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili, quod est necessarium ad hoc, quod homines in quacumque religione aduentur: sicut Aug. dicit* contra Faust. Et ideo oportet prius institui circumcisionem, quam lex daretur. Illi autem Patres, qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus diuinis, per modum paternæ admonitionis. Vnde & dominus dicit de Abraham, Scio quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini.

*p. 2 q. 90.
ar. 2.*

*li. 19. c. 11
in fi. 10. 6*

Ad tertium dicendum, quod baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat, secundum illud 1. Timoth. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri. Et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam vt fiendam per Christum, qui erat ex iudeorum populo nasciturus. Et ideo illi soli populo data est circumcisio.

Ad quartum dicendum, quod circumcisio instituta est, vt signum fidei Abrahæ, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissum. Et ideo conuen-

nien-

nienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre: ut in secunda parte dictum est *. Sed baptifinus continet virtutem Christi, qui est vniuersalis causa salutis omnium, & remissionis omnium peccatorum.

ARTIC. III.

Utrum ritus circumcisionis fuerit conueniens?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod ritus circumcisionis non fuerit conueniens. Circumcisio enim (sicut dictum est *) fidei quædam professio est. Sed fides in vi apprehensiuæ existit, cuius operationes maximè apparent in capite. Ergo magis debuit signum circumcisionis dari in capite quam in membro generationis.

¶ 2. Præterea, Ad usum sacramentorum assumimus ea, quorum est communior usus: sicut aquam ad abluendum, & panem ad reficiendum. Sed ad incidendum cõmunius utimur cultello ferreo quam petri- no. Ergo circumcisio non debuit fieri cultello petri- no.

¶ 2. Præterea, Sicut baptifinus instituitur in remedium originalis peccati, ita etiam circumcisio: si- cut Beda dicit *. Sed baptifinus non differtur vsque ad octauum diem (ne pueris periculum damnationis immineat propter originale peccatum, si nondum baptizati decedant), quandoque etiam traditur baptifinus post octauum diem. Ergo circumcisioni nõ de- buit determinari octauus dies, sed debebat quandoq; præueniri, sicut etiam quandoque tardabatur.

SED contra est, quod Roman. 4. super illud, Et signum accepit circumcisionis, determinatur in glossa * prædictus circumcisionis ritus.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est *) circumcisio quoddam fidei signum est, institutum à Deo, cuius sapientiæ non est numerus. Determinare autem conuenientia signa, est sapientiæ opus. Et ideo concedendum est, quod ritus circum- cisionis fuit conueniens.

N 4 Ad

1. 2. q. 81.
a. 5. ad 2
¶ ar. 1.
ad 2.

408

4. d. 1. q. 2
ar. 3. q. 1.
et a. 3. q.
2. ¶ 3. et
Io. 7. le. 2
col. 5. ¶
Ro. 4. le. 2
co. 3.
* a. 1. ¶
2. huius
quæst.

*In ho. cir-
cumcis in
ter princ.
¶ me in
ho totius
anni re-
peries.*

*in gl. ord.
sup. illud
S. gnæ ac-
cepit cir-
cūcisionis
art præc.
huius q.*

Ad primum ergo dicendum, quod circumcisio conuenienter fiebat in membro generationis. Primo quidem, quia signum erat fidei, qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum. Secundo, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tercio, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum.

Ad secundum dicendum, quod cultellus lapideus non erat de necessitate circumcisionis: unde non inuenitur tale instrumentum præcepto diuino determinatum. Neque etiam communiter tali instrumento Iudæi utebantur ad circumcidendum, sicut neque modò vtuntur. Leguntur tamen aliquæ circumcisiones famosa, cultello lapideo factæ: sicut legitur Exod. 4. quod tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui. & Iosue 5. dicitur, Fac tibi cultellos lapideos, & circumcide secundò filios Israel. Per quod figurabatur circumcisionem spiritualemente esse fiendam per Christum, de quo dicitur 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus.

Ad tertium dicendum, quod octauus dies determinabatur circumcisioni: tum propter mysterium, quia in octaua ætate (quæ erit ætas resurgentium) quasi in octauo die perficietur per Christum spiritualis circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam, sed etiam omnem pœnalitatem: tum etiam propter teneritudinem infantis ante octauum diem. Unde etiam de alijs animalibus Leuit. 22. præcipitur, Bos, ouis, & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub vberibus matris suæ: die autem octauo, & deinceps offerri poterunt domino. Erat autem octauus dies de necessitate præceptus: ita scilicet, quod octauum diem prætermittentes, peccabant etiam si esset sabbathum, secundum illud Ioan. 7. Circumcisionem accipit homo in sabbatho, vt non soluat lex Moyfi. Non tamen erat de necessitate sacramenti:

ti:

ti: quia si aliqui omittebant octauum diem, postea poterant circumcidi. Quidam etiam dicunt, quod propter periculum imminentis mortis, poterat octauus dies præueniri. Sed hoc nec ex auctoritate scripturæ, nec ex consuetudine Iudæorum haberi potest. Vnde melius dicendum est, sicut etiam Hug. * de san. Viſto. dicit, quod octauus dies nulla necessitate præueniebatur. Vnde super illud Prouerb. 4. Vnigenitus eram coram matre mea, dicit glo. † quod alius Bersabee paruulus, non computatur: quia ante octauum diem mortuus, nominatus non fuit, & per consequens nec circumcitus.

Potest col
ligi ex l.
1. de sac.
par. 12. c.
2.
† gl ordi.
ibid.

ARTIC. IV.

Vtrum circumcisio conferret gratiam iustificantem?

409

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod circumcisio non conferebat gratiam iustificantem. Dicit enim Apostolus Galat. 2. Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est, id est, sine causa. Sed circumcisio erat quædam obligatio legis implendæ: secundum illud Gal. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Ergo si ex circumcissione est iustitia, Christus gratis, id est sine causa, mortuus est. Sed hoc est inconueniens. Non ergo ex circumcissione erat gratia iustificans à peccato.

Sup. q. 62
art. 6. ad
3. & 4. d.
1. q. 1. a. 4
& ver. 9.
28. art. 2.
ad 12. &
Ro. 4. lo. 5
co. 1. f.

¶ 2. Præterea, Ante institutionem circumcissionis sola fides ad iustificationem sufficiebat: dicit enim Greg. † in Mora. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides. Sed virtus fidei non est imminuta per mandatum circumcissionis. Ergo sola fides paruulos iustificabat, & non circumcisio.

li. 4. c. 7.
cir. med.

¶ 3. Præterea, Iosue 5. legitur, quod populus, qui natus est in deserto per quadraginta annos, incircucisus fuit. Si ergo per circumcissionem auferebatur peccatum originale, videtur quod omnes qui in deserto mortui sunt, tam paruuli, quam adulti, fuerint damnati.

Et

Et eadem obiectio est de pueris, qui moriebantur ante octauum diem circumcisionis: quia præueniri non debebat, vt dictum est*.

*ar. præc.
ad 3. ar-
gum.*

¶ 4 Præterea, Nihil impedit introitum regni cælestis, nisi peccatum. Sed circumcisi ante passionem Christi impediabantur ab introitu regni cælestis. Non ergo per circumcisionem homines iustificabantur à peccato.

*in lib. de
vera, &
fal. peni.
ca. 9. non
longe à
prin t. 4.
* li 2. de
nupt. &
concu c.
11. in fi.
10 7.*

¶ 5 Præterea, Peccatum originale non dimittitur sine actuali: quia impium est à Deo dimidiâ sperare veniam, vt Aug. * dicit. Sed nusquam legitur, quòd per circumcisiõnem remitteretur actuale peccatũ. Ergo etiã neque originale per eam dimittebatur.

SED contra est, quod Augus. * dicit ad Valerium contra Iulianum, Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ tunc erat signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat paruulis originalis veterisque peccati: sicut & baptisus ex illo cæpit valere tempore ad innouationem hominis, ex quo institutus est.

RESPONDEO dicendum, quòd ab omnibus communiter ponitur, quòd in circumcisiõne peccatum originale remittebatur. Quidam tamen dixerunt, quòd non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum: quod Magister ponit in r. distinc. * 4. sent. & Ro. 4. in glo. † Sed hoc non potest esse: quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud Ro. 3. Iustificati gratis per gratiam, &c. Et idèd alij dixerunt, quòd per circumcisiõnem conferebatur gratia quantum ad effectus remotiuos culpæ, sed non quantum ad effectus positiuos, ne cogerentur dicere, quòd gratia in circumcisiõne collata sufficiebat ad implendum mandata legis; & ita superfluous fuerit aduentus Christi. Sed hæc etiam positio stare non potest. Primo quidem, quia per circumcisiõnem dabatur pueris facultas suo tempore perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus effectus positiuus gratiæ. Secundo, quia priores sunt naturaliter secundum ordinẽ causæ formalis

*d. 1. in S.
penul.
† gl. ord
super il-
lud, Si-
gnũ acce-
p t circum-
cisiõnis.*

malis effectus positiui, quàm priuatiui, licet secundū ordinem causæ materialis sit è conuerso: forma enim non excludit priuationem, nisi informando subiectū. Et ideo alij dixerunt, quòd in circumcissione conferebatur gratia etiam quantum ad aliquem effectum positiuum, qui est facere dignum vita æterna; sed non quantum ad omnes effectus: quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis. Quod etiam aliquando mihi visum est. Sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deū, quàm cupiditas millia auri, & argenti. Et ideo dicendum est, quòd in circumcissione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus: aliter tamen, quàm in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ. * In circumcissione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcissionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet, quòd homo, qui accipiebat circumcissionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel aditus pro se, vel alius pro paruulis. Vnde & Apostolus dicit Roman. 4. quòd Abraham accepit signum circumcissionis, signaculum iustitiæ fidei: quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcissione significante. Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio: ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo; & copiosiore gratiam confert, quàm circumcisio: maior enim est effectus rei iam præsentis, quàm spei.

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procederet, si ex circumcissione esset iustitia aliter quàm per fidem passionis Christi.

Ad

minia

* *Alijs,*
Circūcisio autē conferebat gratiā in quā tu erat i gnū fidei passionis Christi futuræ.

Ad secundum dicendum, quod sicut ante institutionem circumcisionis, sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adultos: ita etiam & circumcisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestatiuum huius fidei: quia nondum homines fideles, seorsum ab infidelibus ceperant aduari ad cultum vnius Dei. Probabile tamen est, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei), sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerebant.

*Dam. li.
4. ca. 26.
cir. prin.
† in li. 9.
super Io-
sue c. 6. a
me. to. 4.*

Ad tertium dicendum, quod populus in deserto prætermittens mandatum circumcisionis, excusabatur: tum quia nesciebant quando castra mouenda erant: tum quia (vt Damasc. * dicit) non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab alijs populis habitabant. Et tamen, vt Aug. † dicit, inobedientiam incurrerant qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen, quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto: quia, vt in Ps. 104, dicitur, non erat in tribubus eorum infirmus: sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant in Agypto circumcisi. Si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his, & de his, qui moriebantur ante circumcisionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octauum diem tempore legis.

Ad quartum dicendum, quod in circumcisione auferebatur originale peccatum ex parte personæ: remanebat tamen impedimentum intradi in regnum cælorum ex parte totius naturæ: quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed & circumcisio si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad quintum dicendum, quod adulti quando circumcidebantur, consequerentur remissionem, non solum

solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu peccati, sicut fit in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

QVÆST. LXXI.

De preparatorijs, quæ simul concurrunt cum baptismo, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de preparatorijs, quæ simul concurrunt cum baptismo.

¶ Et circa hoc quaruntur quatuor.

¶ Primo, utrum catechismus debeat præcedere baptismum?

¶ Secundo, utrum baptismum debeat præcedere exorcismus?

¶ Tertio, utrum ea quæ aguntur in catechismo, & exorcismo, aliquid efficiant, vel solû significet?

¶ Quarto, utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes?

ARTIC. I.

Utrum catechismus debeat præcedere baptismum?

410

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod catechismus non debeat præcedere baptismum. Per baptismum enim regenerantur homines in vitam spirituales. Sed prius homo accipit vitam, quam doctrinam. Non ergo prius debet homo catechizari, id est doceri, quam baptizari.

4. d. 6. 2.

q. a. 2. q. 1.

¶ 2. Præterea, Baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinæ perceptibiles, eo quod non habent usum rationis. Ergo ridiculum est eos catechizare.

¶ 3. Præterea, In catechismo confitetur catechizatus suam fidem. Sed pueri non possunt suam fidem confiteri, neque per seipsos, neque etiam aliquis alius pro eis: tum quia nullus potest alium ad aliquid obligare: tum etiam quia non potest aliquis scire, utrum pueri cum ad legitimam ætatem peruenerint, assentiant fidei. Non ergo debet catechismus præcedere baptismum.

SED